Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



·cc·viij

finisletis mundus qd suum erat di-
ligeret: quia uero de mundo non
estis, sed ego elegi uos de mundo
propterea odit uos mundus. Memen-
tote sermonis mei que ego dixi
uobis. Non est seruus maior do-
mino suo. Si me persecuti sunt et
uos persequent. Si sermonem meum
seruauerunt et uestrum seruabunt. Sed
hec omnia facient uobis propter nomen
meum: quia nesciunt eum qui me
misit. Si non uenissem et locutus fuis-
sem eis peccatum non haberent. Nunc autem
excusationem non habent de peccato suo.
Qui me odit et patrem meum odit.
Si opera non fecissem in eis que ne-
mo alius fecit peccatum non haberent.
Nunc autem uiderunt et oderunt me
et patrem meum: sed ut impleatur
sermo qui in lege eorum scriptus est.
Quia odio habuerunt me gratis.
In illo tpe. d. i. d. s. Ecce. s. matthei.
Ego mitto uos sicut oues in me-
dio luporum. Estote ergo prudentes
sicut serpentes et simplices sic
columbe. Cauete autem ab hominibus
tradent enim uos in conciliis et in
synagogis suis flagellabunt uos
et ad principes et reges ducemini propter
me in testimonium illis et gentibus.
Cum autem tradent uos nolite cogi-
tare quomodo aut quid loquamini.
Dabitur enim uobis in illa hora
quid loquamini. Non enim uos
estis qui loquimini, sed spiritus pa-
tris uestri qui loquitur in uobis. Tra-
det enim frater fratrem in mortem et pa-
ter filium. et insurgent filii in parentes
et mortem eos afficient. Et eritis
odio omnibus hominibus propter nomen
meum. Qui autem perseuerauerit usque
in finem hic saluus erit. s. matth.
In illo tpe. d. i. d. s. Vos estis sal terre.
Quod si sal euanuerit in quo
salietur. Ad nihilum valet ultra
nisi ut mittatur foras et conculcetur
ab hominibus. Vos estis lux mundi.
Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. neque ac-
cendunt lucernam et ponunt eam
sub modio: sed super candelabrum
ut omnibus luceat qui in domo sunt.
Sic luceat lux vestra coram hominibus.
ut videant opera vestra bona et glo-
rificent patrem vestrum qui in celis est.
In illo tpe. Misit ihesus s. matthei
duodecim discipulos suos precipiens
et dicens. In viam gentium ne ab-
ieritis et in ciuitatem samaritano-
rum ne intraueritis: sed potius ite
ad oues que perierunt domus israel.
Euntes autem predicate dicentes:
quia appropinquabit regnum celorum.
Infirmos curate mortuos suscita-